Q. D. B. V.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS

DE

TVMORIBVS TVNICATIS

QVAM

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DOMINO

VVILHELMO HEINRICO

DVCE SAXONIÆ IVLIACI CLIVIÆ MONTIVM ANGARIÆ WESTPHALIÆ ET RELIQVA

PRAESIDE

IO. HADRIANO SLEVOGTIO

M. D. ET P. P.

ILLUSTRIS FACULTATIS MEDICÆ H. T. DECANO

PATRONO PRÆCEPTORE AC PROMOTORE SUO PLURIMUM VENERANDO

PRO DOCTORIS GRADU

INSIGNIBUS AC PRIVILEGIIS

MORE MAIORUM RITE CONSEQVENDIS

PUBLICÆ PHILIATRORVM DISQVISITIONI SUBMITTIT

GOTOFREDVS SAMVEL NITSCHKE

ISLEBIENSIS

AD DIEM XVIII OCTOBRIS MDCCXIX

LOCO HORISQUE ANTE- ET POMERIDIANIS CONSVETI S.

IENAE

LITERIS VVERTHERIANIS.

Q. D. B. V.

DISSERTATIONIS
DE
TVMORIBVS TVNICATIS
INTROITVS.

CVm ſummos in ſalutari arte honorum titulos ambienti Candidato, poſt repetita, ab illuſtris Facultatis Aſſeſſoribus inſtituta, profectuum examina, Thematis alicujus elaboratio, in loco publico, a Philiatris, in præſentia totius Academici Senatus,& mille litteratorum civium, ventilanda injungatur, ex multis argumentis *Tumorum tunicatorum*, ut a Chirurgis vocantur, *Atheromatis*, *Steatomatis*, *Meliceridis & Ganglii* conſideratio placuit, in qua vires experirer. Faxit ſummum Numen, ut hi conatus in ſui nominis gloriam & ægrotantium ſolatium feliciter ſuccedant.

certe conditio omnium tumorum, ſimplicium pariter ac tunicatorum, a ſangvine, ſero, flatibus, carne, Oſſe, &c. dependentium, eſſet, monſtroſamque vocis *abſceſſus* ſignificatio latitudinem acquireret. Deinde neutiquam in cyſtica tubera quadrant, quæ de ſpatio, *a materia aliqua* in medio tumoris facto, afferuntur, in quod *materia* (num eadem, quæ ſpatium effecit, an vero alia ſuperveniens) *fluat*; cum in tunicatis nulla cavitas, aut inane ſpatium eſſe poſſit: quale in aliquibus abſceſſibus fit, quando materiam putrefactam, ex rupta vel disſciſſa cute, profundunt, & in ulcus abeunt, quod tunc a nonnullis abſceſſus patens, hic autem ulcus fiens, & adhuc clauſum, nominatur.

§ 5.

Vocavimus tumorem tunicatum *vitium conformationis*, cum ille res p. n. ſit; ſed morbum appellare noluimus, ne illos offenderemus, qui ad hujus eſſentiam requirunt, ut non tantum ſtatus præter naturalis ſit, ſed etiam facultatis alicujus *actiones lædat*. Cum autem non omnes in corpore auctæ quantitates, priſtinæque formæ mutationes functionibus ejus offendiculum præbeant, ideo mollioribus terminis eas exprimendas eſſe volunt. Intumeſcere enim dicunt ventrem & mammas in gravidis, plane ſecundum naturam; nec habitum corporis tenerum & macilentum, in pleniorem mutatum, turgentesque ex largiori alimento artus, niſi ad exſuperantem obeſitatem prolabuntur, laboribus, aliisque ſuis actionibus obeundis, impares reddi: ipſosque tumores cyſticos, ſibi relictos, in capite & aliis regionibus, ſæpe absque moleſtia geſtari, & tamdiu tolerari, donec tandem, libras aliquot pendentes, mole oneroſi ac deformes evaſerint.

§ 6.

Subjectum ſibi eligunt partes ſolidas molles, cum gummata, dura illa, ſiphilidique inprimis familiaria tubercula, oſſibus, utpote ex eorum nutrimento corrupto nata, firmiter adhæreant, adjacentique perioſtio triſtem ſubinde ſenſum imprimant. Quamvis autem præ reliquis partibus corporis humani glandulæ ſtagnantibus humoribus velificentur, bubonibusque, ſcrophulis & ſimilibus, ex ſeroſi humidi motu turbato provenientibus tumoribus, ſedem præbeant; eas tamen, & potiſſimum magnas, noſtri tumores non æque amant, & proinde in aurium, axillarum inguinumque confiniis, quorſum natura frequenter materiam, corpori nocituram, ex maſſa ſanguinis, critice & per διαδοχὴν in capaciores ἀδῆνας mittit, raro reperiuntur. Sed in exſuccis potius, & largo humorum affluxu deſtitutis locis habitare malunt, & propterea ſæpe ſub cute cranii, alibique in tendinoſo & ligamentoſo fundo ſuam ſedem firmant, ita quidem, vt non ſemper profundas radices in ſubjectas partes ſpargant, ſed ſuperficiei tantum adhærentes, cum apprehenſa cute paululum ſe attolli, & huc illuc tradi patiantur, eoque ipſo non obſcuram diagnoſin exploranti Chirurgo præbeant, vt inde, & ex reliquis ſignis, a figura, colore, modo creſcendi, duratione, doloris abſentia, & inprimis conſiſtentiæ qualitate, ac majori vel minori prementi digito renixu deſumendis, præſentia eorum concludatur.

§ 7.

Quæ φαινόμενα, cum, ceu ſigna, uberiorem expoſitionem requirant, ideo ſingulorum tumorum conſiderationes eam poſtea ſuppeditabunt; nos vero, anteqam ad illas deſcendi-

fcendimus, in præfentiarum tribus tantum verbis unam alteramque circumftantiam, adhuc omnes fpecies concernentem, *ἀναισθησίαν* fcilicet, *tarditatem incrementi*, una cum *caufa originis folliculi* expendemus, reliquas fpecialiores ad fequentia ablegantes.

§ 8.

Infenfibilitas & *ἀναλγησις* tumorum, non tam a fibrarum nervearum in folliculis *defectu*, quam a materiæ, ipfis inclufæ, miti qualitate, nec proprias tunicas, nec vicinas partes male afficiente, ortum trahit. Quamvis enim non omnes membranæ eadem copia ac fubtilitate nervorum inftruantur, ideoque vna præ altera exquifito tactu polleat: quod comparatio, inter volæ manus & reliqui corporis cutem, aut inter perioftium duramque matrem inftituta, clare docet; nulla tamen iisdem plane deftituitur, cum fine illis ne fuperftes quidem manere poffet. Haud igitur talismodi tumores fuam fentiendi facultatem exferunt, aut a nobis percipiuntur, nifi, quicquid in ipfis nervofum eft, blande, aut impetuofe, & ad continui folutionem usque, a tangibili objecto commovetur, aut oculis vel manibus mutata conformatio occurrit. Id quod aliis quoque partibus ac vifceribus corporis commune eft; vt tunc bene valere judicentur, fi non tantum potentia agendi, quando agere debent, inftructa funt, fed præterea, nifi de illis cogitamus, nullum fuæ præfentiæ indicium internis fenfibus fiftunt. Hinc nos oculos, & ftomachum, renesque, & inteftina, atque articulos habere certi reddimur, quando ophthalmia, aut cardialgia, aut calculo, aut colica, aut arthritide corripimur; cum antea, fanitatis tempore

re nobis parum de illis ſollicitis, eorum conſideratio vix in mentem venerit.

§ 9.

Quod plerique tumorum tunicatorum tarda ſuæ molis augmenta nanciſcantur, & non dies ſaltem, aut menſes, ſed annos præterfluere ſinant, antequam ad juſtam & perceptibilem quantitatem exſurgunt, paucitas vaſorum in locis, non admodum ſucculentis glandulis refertis, facit. Si Hieronymi Fabritii opinio, l. c. p. 671, locum haberet, per venam, folliculum vel vicinam partem contingentem, ipſos nutriri, tunc & cauſa cunctantis incrementi, & ſimul materiæ in folliculis, adeo a reliquis corporis ſubſtantiis diverſæ, nullamque coctionem admittentis, detecta eſſet: cum in venis, a nutritis partibus redeuntibus, paucum, & ſimul minus adhuc coctum nutrimentum inveniri, veroſimile ſit. Cujus cruditatis ortum, quomodo idem doctiſſimus Chirurgus, ſed circulationis ſanguinis adhuc ignarus, exponat, ex ſuis verbis intelligere haud pigebit. *Hæc vena* (tumores nutriens) *obſervatur ſola, ſine arteria; unde fit, vt materia, quæ in abſceſſibus, nattis* (quid per abſceſſus atque nattas intelligat, in ſuperioribus aperuimus) *eſt, toto genere præter naturam, aut non vertatur in naturam humorum, aut formam ipſius partis: quia deſtituta eſt calore naturali & vitali, qui communicatur per arterias, quæ arteriæ in hoc caſu deficiunt.*

§ 10.

Tolerabiliora hæc ſunt, quam quæ idem de cauſa præſentiæ folliculi comminiſcitur. Poſtquam enim cap. 15, Part. 2, p. 669, de tunicatis tumoribus acturus, triplicem

abſceſſuum materiam, *naturalem*, *præter naturalem* & *ex toto genere præter naturam* ſtatuerat, adeo poſtmodum confuſe de hiſce loquitur, vt Oedipo opus ſit, qui eum intelligat. Cum enim vix, p. 670, folliculum tunicam quandam propriam, in qua *materia præter naturalis* ſit, appellaſſet, immediate pergit, *abſceſſus*, *ab humoribus naturalibus & præter naturalibus* factos, non habere materiam in folliculo, ſed eo carere, habere tamen materiam in ſpatio ſine folliculo; & nihilominus paulo poſt, eadem pag. de cauſa folliculorum agens, aperte profitetur, omnes abſceſſus, ex materia *præter naturam* natos, non vero alios, ideo folliculum habere, *quia*, ut ibi loquitur, *materia præter naturalis eſt aliena & contraria naturæ partium, ita vt, ſi tangeret partes, temperiem earum deſtrueret, ne igitur tangat partem, natura ipſam ſeparavit, & amovit contactum per folliculum, in quo eſt incluſa materia.* Ex quibus patet, illum materiam præter naturam cum iſta confundere, quam antea ex *toto genere* talem vocaverat, quæ ſcil. *non eſt ſimilis ulli alteri, & quæ in corpore noſtro nullam partem ſibi ſimilem habet.* Exempli loco adducit ſolum calculum; cujus tamen loco, rectius *pultem* in atheromate, *ſebum* in ſteatomate, & *mel* in meliceride allegaſſet; cum de his in iſto capite agat, & nihil in corpore ipſis æquiparandum reperiatur: quamvis nunquam vel rariſſime tanta, vicinis partibus nocendi, facultate polleant, vt intergerina tunica opus habeant.

§ 11.

De *ſubſtantia* folliculorum origine pauci Chirurgi ſolliciti ſunt, utpote ad phyſicum forum magis pertinente.

Jo. Baptista Verduck, Pathol. Chirurg. Part. 1, c. 10, p. 197, eam *a lymphaticis vasis* derivat, & sacculos hosce eadem ratione, per expansionem eorum, ac anevrisma ex arteria, aut varix a vena fieri solet, generari, ipsamque lympham, ibi coagulatam, diversam consistentiam pultis, mellis, saponisque assumere putat, prout brevem aut longam moram ibi traxerit, aut aliis humoribus mixta fuerit. Huic autem expansioni vel obstructam glandulam, in adjacente vase, sua pressione, motum lymphæ impedientem, vel contusionem, aut lapsum, vasa disrumpentem, occasionem dare. A qua sententia sui conterranei alienus est Petrus Dionis, Operat. Chir. Demonstr. 10, cap. 55, p. 830, & glandulis potius ortum tunicæ adscribit: cum harum officium sit, humidum aliquod secernere, a quo, si vasa, separationi inservientia, obstruuntur, restitante, illæ intumescant, ut membrana, eas ambiens, in vesicam expandatur; additque, ideo etiam tales tumores renasci, si, ex iis discissis, contenta tantum materia eximeretur, non autem simul tunica continens extraheretur.

§ 12.

Nos, neque huic neque isti opinioni directe litem moventes, neutram nostram facimus, dum, § 3, folliculum non solum *ex fibris membranaceis*, sed ex *vasculorum* quoque *tubulis* contextum esse, asseruimus. Quippe, sicuti difficile creditu est, ex sola lympha, parte illa nutrimenti solidarum corporis substantiarum aquosa, in ipso nutrionis actu, a particulis γλίσχροις, ex M. S. secedentibus, separata, & per minutissimas glandulas, aut alia quacunque ratione, in lymphatica vasa collecta, talem materiam,

qualis in tumoribus invenitur, fieri posse; ita haud æque a solis vasorum membranis folliculi debent derivari, cum simul nervi & arteriarum tunicæ concurrant, per quæ sanguis partim, nativa textura & colore orbatus, partim alia corpuscula, digestionem respuentia, (ad quæ Verduck quoque respicere videtur) afferuntur, ut ex illis non solum consveta illa tumorum contenta, sed etiam *carbonum*, *officulorum*, *pilorum*, *animalium*, similiumque, in reliquo corpore vix reperibilium concretorum simulachra generantur. Haud etiam ignotum est, quanta alacritate & promtitudine natura, vt humores stagnantes, & extra circulationis terminos versantes, excipiat foveatque, & ex his varices, anevrismata, hydadides, & solidos etiam corporique molestos tumores, fungos, scrophulas, scirrhos, &c. fabrefaciat, membranas, affectæ parti vicinas, amplificare, novis vasis instruere, & plerumque copiosiori nutrimento, quam reliqua corporis membra impertire soleat, vt sæpenumero ad monstrosam molem brevi tempore perveniant. Nemini igitur mirum videbitur, idem circa tunicatorum tumorum productionem contingere, ad quorum specialem considerationem proprius accedemus.

§ 13.

Ἀθέρωμα, ab ἀθήρα, materia contenta, *pulti, ex tritico & lacte non absimili*, apud græcos nomen adeptum, Germanis Grütz- oder Brey-Geschwulst audit, & per hanc a steatomate & meliceride, cum quibus ratione generalis descriptionis, in § 1 propositæ, convenit, discernitur. Num, in capite repertum, *Talpa nigra & Testudo* vocari debeat, quod Verduck, l. c. p. 196 vult, valdopere dubi-

dubitamus: cum hæc vocabula, veteribus ignota, Gvidonis tempore orta videantur, & tumorem non valde elatum, inque eo materiam notent, pingvedini ſimilem, inter cutem capitis & pericranium comprehenſam, plerumque ita cranio affixam, vt minime moveatur, nec ſine ſuppuratione tolli poſſit, ipſumque os arrodat, ideoque a Fabritio, Munnickio & aliis atheroma & talpa in ſeparatis locis tractentur. Neque etiam, quod B. Chriſt. Jo. Langio, Chirurg. cap. 1, § 6, p. 190, placere legitur, ob externam figuram, *teſtudinem*, aut *talpæ* ſcrobem in pratis referentem, horum animalium nomina atheromati æque ac ſteatomati aut meliceridi imponi poſſunt; cum tumores, iſta gerentes, *materia contenta, modo afficiendi, & curatione* ab his multum differre, ex modo citatis Autoribus pateat. Omnium minime ſolus locus, ut Purmannus, Laur. chir. part. 1, p. 26, putat, nomen morborum variat, ut in regione ſuperciliorum, aut in articulis hærentes ganglia, in collo ſcrophulæ & ſtrumæ, in capite autem, cruribus, dorſo & lateribus nodi, naptæ, lupiæ, teſtudines, talpæque appellentur.

§ 14.

Cum igitur ab hiſce, tam diverſæ indolis, tumoribus atheroma ſatis bene diſtingvatur, notam diſtinctionis ab affinibus ſpeciebus Chirurgi ex tactu petunt; cum alia ſigna, a loco, mole aut colore deſumenda, non occurrant, & neutri eorum ſolum caput aſſignetur, quantitasque in omnibus individuis diſcrepet, & color cum cute vel plane idem, vel non multum diverſus ſit. Statuitur igitur, tumorem, ſub cute magis vel minus mobilem, atheroma eſſe, ſi is digito prementi difficilius ceſſerit, quam meliceris, facilius autem quam ſteatoma, quod

diutissime fortiter impressam foveam retinet; cum atheroma citius, sed lento motu resurgat, meliceris autem mox resiliat.

§ 15.

Causam materialem plerique humorem pituitosum, ex corrupto Chyloso nutrimento natum, & per moram magis p. n. redditum, statuunt, cui subinde ex sangvine corrupto variæ formæ, p. 12. nominatæ, inducuntur, ut per fascinum illuc delatæ videantur. Occasionem stagnationi fortes ligaturæ, contusio, lapsus, verbera, & quicquid vas comprimit, porrigunt; sine quibus a solo etiam humorum vitio, in cacochymicis, aut quibus naturales excretiones excernendorum non rite succedunt, oriuntur. Hinc sequior sexus præ virili frequentius talismodi tumoribus subjicitur, ut observationum editores annotarunt. Ex quibus inprimis Purmannus legi meretur, qui Observat. Chirurg. 5 & 6, in capite Monialis novem, in illustri matrona autem 13 tumores tunicatos, & in hac quidem, præter atheromata, etiam melicerides & steatomata offendit, & feliciter sanavit. Numero quoque moles atheromatum haud raro enormis accedit, ut non tantum, quod frequentius fit, uncias, sed integras libras pendant: inter quæ unum notari meretur, 10 libras cum semisse æquans, quod Purmann, Obs. 30, a virginis macilentæ dorso separavit, cum septem annorum spatio ad tantam molem pervenisset.

§ 16.

Quamvis autem hactenus memoratus, & reliqui saccati tumores, ex sua natura haud lethiferi existant, nec, quod Verduck de nigra talpa & testudine, sibi athe-

roma-

romatis nomine venientibus, asserit, cranium cariosum reddant, membra corrumpant, vasa erodant, & magnas hæmorrhagias excitent; sed e contrario sæpe per multos annos, sine damno, & notabili molis incremento gestentur: rectius tamen sibi consulunt, qui in tempore eorum curam expetunt, antequam in scirrhosam substantiam indurati firmiter adjacentibus partibus adnascuntur, aut, articulis vicini, horum motui obsunt, vel denique excedente sua magnitudine deformes, gestatuque difficiles evadunt, aut, quod excell. Heisterus factum esse observavit, Chirurg. Part. 2, cap. 28, *tabem* post se trahunt: cui illa quoque virgo, quam in proximo § ex Purmanno recensuimus, dudum obnoxia fuit. Suffurantur enim talismodi grandes tumores, magnam nutrimenti partem reliquo corpori & simul non omnino boni sangvinis indicium præbent.

§ 17.

Antequam curatio, quam per dissectionem cutis & ablationem folliculi, absque jucunditate quidem, (utpote vix a Chirurgi manu expectanda,) attamen cito, tuto & perfecte fieri; una fere Autorum sententia est, tentatur, considerandus est prius æger, num per ætatem nimis tener sit, aut senio gravis eam sustinere valeat: deinde non temere tangendus tumor, firmiter subjacentibus partibus, multis nervis & majoribus vasis præditis, annexus; cum tales incoërcibilis sangvinis profusionis metum incutiant, aut motus convulsivos excitent; qualibus illustris illa a Purmanno citata persona, correpta fuit, aut, si non radicitus tolli queunt, regenerationi similis mali materiam relinquant.

§ 18.

§ 18.

Sunt equidem nonnulli, immiſericordia & gratioſa crudelitate, neceſſaria iſta, & a Celſo, in libri 7, de Medicina, præfatione, Chirurgo commendata qualitate deſtituti, qui, indolis talium tumorum non bene gnari, eos, more aliorum, a MS proxime dependentium, per *diſcutientia* ſpirituoſa reſolvere volunt, ut intus concluſa materia correcta & fluida reddita, partim in vaſa ſanguifera & lymphatica recipiatur, partim vero per poros cutis avolet. Sed hi laterem lavant, & tempus ac medicamenta perdunt: quia vix unquam ſtatim ab initio ad recentiſſimum tuberculum, ubi reſolutio adhuc locum haberet, remedia requiruntur; ſed, cum id dolore vacet, negligitur, aut, imbellibus domeſticis tractatur; donec, adultius factum, mitioribus non amplius obſecundet: eſtque ſimul cavendum, ne, verbis Langii, l. c. p. 191, *fortioribus exſiccantibus ſcirrboſa ſoliditas, & nimium acribus cancroſa malignitas tumori concilietur.*

§ 19.

Alii, poſtquam ſalivam jejuni hominis, a Munnickio, ob ſalis alcali & ſpirituum abundantiam, laudatam, ac balſamum Peruvianum, cum ſucceſſu, mollibus tumoribus (forſan pro tunicatis habitis) a Barbette adhibitum, fruſtra inungi, nec laudatis alias, ex reſinoſis gummatibus, ammoniaco, galbano, ſaponæ, cicuta, cum & ſine mercurio &c. confectis emplaſtris & ungventis non multum profici animadverterunt, nec *ceratum diaſinapios* quoque, ab Hier. Fabritio l. c. c. 17, pag. 676, deſcriptum, & ob nimiam ſalis gemmæ, ſpumæ argenti, ceruſſæ, reliquorumque ingredientium minus proportionatam doſin, a Spigelio correctum,

rectum, & postmodum a Sculteto bis in meliceride resolvenda proficuum repertum, nec denique *diabotanum* illud, a Petro Dionis divinum & incomparabile salutatum l. c. p. 332, in atheromate ac steatomate satis efficax esse deprehenderunt, ad ea confugiunt, quæ blando calidoque fotu cutem & folliculum tumoris emollire, inclusamque materiam excoquere solent, sperantes, eam, in pus mutatam, per amplum vulnus, continentibus integumentis inflictum, emitti, & hinc per injecta in cavum ulcus digerentia acriora, v. g. ungv. ægyptiacum, alumen ustum, æs viride, præcipitatum rubrum, magnetem arsenicalem &c. substantiam sacculi corrumpi posse. Verum admodum tarde procedit talis emollitio, quia materia contenta non facile coctionem admittit: deinde metuendum est, ne, quod interdum contigisse, supra laudatus D. Heisterus, l. c. notavit, per eandem, spatio dimidii mensis, tumor majus incrementum sortiatur, quam alias per annum accepisset. Quibus accedit, ut alia incommoda taceamus, reliquiarum folliculi consumtionem exquisito dolore minime cariturам, relictamque radicem novæ progerminationi initium daturam esse.

§ 20.

Alii igitur a Fabritio, atheroma & steatoma digerentibus non obedire, edocti, isti mox *potentialia acriaque cauteria*, unicum quidem parvo, plura vero magno applicant, ejusque integumenta solvunt, & contenti pultis substantiam liquant ac putrefaciunt, & postmodum, quod de folliculo superest, per septica mitiora, in præcedente § nominata, consumunt. Quod si vero

C his

his non cesserit, alia acriora, ☿-tum, cum melle rosato mistum, arsenicum, auripigmentum, globulos ligneos, aqua forti imbutos, adhibent. Multis hoc loco, præ reliquis, septicum illud Vigonis, indolens dictum, placet, quod ex linteorum discerptorum ℥ii, medullæ panis albi ℥iii, ▽ rosar. & plantag. aa. ℔i. ☿-ti ℥i in æneo vase, ad consumtionem duarum aut trium partium humidi, coctis, & post expressionem in furno exsiccatis, iterumque dilaceratis præparatur: cujus beneficio, Autor mensis spatio, omnes excrescentias, sine dolore, tollere promittit. Verum quia id locum, per pyrotica prius exulceratum, requirit, haud majoris pretii, quam alia mitiora exedentia, æstimari meretur; tanto magis, quanto minus, quæ in genere contra corrodentium pharmacorum usum afferri solent, negligenda sunt. Nimirum, si ea fortiora fuerint, butyrum scil. antimonii, lapis infernalis, °o ⊕, &c. acerbitas dolorum, per diffusionem eorum ad vicinas tumoris partes, metuendorum, vix prohiberi possit; per mitiora autem & segnius agentia vel nihil agatur, vel, per lentam putrefactionem, fœtidissima cancrosaque corruptio producatur: qualem Purmann, in notis ad Obs. 56, p. 302, in moniali citat, & culpam in Chirurgum, apertionem diutius justo differentem, rejicit. Latet enim, inquit Langius, in viscosa horum tumorum materia, æque ac in ipsis scirrhis, acrimonia caustica, quæ, per resolventia salina sulphurea, a compedibus liberata, acrior fit, & postmodum in propinquas substantias sævit.

§ 21.

Optandum igitur esset, ut Sutorianum vel Gervasinum

ſinum cauterium innoteſceret. Iſto enim ingentes tumores, *modo non cancroſi fuerint*, feliciter, & absque notabili moleſtia extirpari poſſe, haud fallax rumor eſt. Dederat ante aliquot annos Dn. Sutorius Chirurgo hujus loci modicam quantitatem ſalis, ſui cauterii nomine inſigniti, quod ex ſapore, & efferveſcentia cum acido, merum alcali deprehenſum, unica quidem nocte cutem in femore, duo ulcera diſtingventem, conſumſerat, ſed haud minorem tamen dolorem, quam vulgaris ille lapis corroſivus, aut cauterium ex fraxino Auguſtanorum ſolet, excitaverat. Ut proinde DD. Præſes, cum in digito Dn. Sutorii nigerrimam maculam, qualem efficaciſſimum illud, ex acido nitroſo & oleo æthereo prodiens ſepticum cuti inprimere ſolet, conſpiceret, non ex alcalina, ſed acida potius proſapia celebre ejus cauſticum parari, haud obſcure ipſi ſignificaret. Gervaſini mentionem facit Dionis, l. c. cujus beneficio cutis non ſolum, ſub qua folliculus latet, ſed hic ipſe etiam aperitur, ut contenta materia eximi, &, quod de tunica reliquum eſt, diſſolvi queat.

§ 22.

Quamdiu autem talismodi benigna auxilia inter arcana occultantur, usque eo, dum illa revelabuntur, cum Fabritio *exciſio*, manu Chirurgi inſtituenda, melior præcedentibus medendi methodis habenda eſt; quam etiam Dionis *maxime ſecuram & expeditu promtiorem* vocat, eaque ſe diverſos ægrotos *citius, & minoribus cum doloribus, quam per cauteria* ſanaſſe teſtatur. Ut proinde Verduck, l. c. in pharmaceuticis remediis recenſendis ſatis

prolixus, cum, contra aliorum Chirurgiæ Scriptorum morem, ne verbo quidem efficacis hujus medicinæ mentionem, in curandis tumoribus tunicatis, faciat, æque ac in descriptione & synonymia atheromatis, in superioribus memorata, humani quippiam passus videatur. Ab hoc vero diversus est Paræus, dum lib. 6, c. 19, quasi de reliquorum pharmacorum ope desperans, nullum eorum, sed solam tantum manus operationem adducit, ejusque in omnibus tumoribus, sive a sebo, sive a melle, aut pulti simili materia foveantur, unam & simplicem procedendi rationem esse scribit, ut substantia contenta, & una ejus conceptaculum revellantur.

§ 23.

Cum autem haud unus omnium externus habitus, & connexionis modus detur, & aliquando inveniantur, qui, verbis Dionis, *instar unionis, ab auricula pendentis*, (ut ex figura, ab Heistero, l. c. p. 414, delineata, videre est,) gracili pediculo præditi sunt; alii autem, frequentius occurrentes, sub cute mobiles, huc illuc facile impellantur; alii autem profundius defixi, cum vicinis corporibus firmiter cohæreant; ideo non una eademque ratione sectio instituenda est. Inprimis autem tertio loco memoratos manum solertem & industriam, metu hæmorrhagiæ & convulsionis, ab exciso nervo, exposcere, Fabritius prudenter monet.

§ 24.

Quodsi igitur primæ classis species tollenda fuerit, facillimo negotio per novaculam tumoris cervix dissecatur,

tur, & vulnusculum styptico pulvere aut liquore occluditur, aut, largius cruorem fundens, quod tamen raro contingit, ignito ferro tangitur. In delicatioribus ægris, ferrum atque ignem formidantibus, basis tuberis per equinam setam, cui Dionis filum ex lino, alii ex rubro serico præferunt, arcte stringitur, ut ipsi nutrimentum denegetur, isque emaciatus abscedere cogatur. Tardior est hæc separatio illa, quæ per scindens ferrum fit, minus tamen dolens, quam ubi per tenue corium aut emplastrum, potentiali cauterio oblitum, petioloque circumligatum, hujus dissolutio tentatur.

§ 25.

Quomodo alii, latæ sub cute basi innitentes tumores exscindantur, Fabritius satis prolixe docet: quem, additis mutatisque quibusdam circumstantiis, reliqui fere omnes sequuntur; ita tamen, ut vix ex uno singulæ encheireses discantur, sed ex duobus vel tribus eorum, Aquapendenti junctis, illæ colligi debeant. Harum aliæ præcedunt sectionem, aliæ comitantur, aliæ sequuntur. Inter præmittendas referenda est illa, inutilisne dicam an ridicula cautio, ut in loco, pilis obsito, horum resectio per *forficem* fiat, cum *derasionem sangvinis eruptio sequatur*: quæ tamen non, nisi ab ineptissimo tonsore, metuenda est. Deinde superfluum videtur, conclave lucidum commendare, cum tale ad quasvis Chirurgicas operationes requiratur. Tribus forsan exceptis; scarificatione scilicet, cui sola lampas inservit; deinde quando Regi Galliæ vena secanda est: ubi, teste Dionis, Protomedicus accenso cereo lumen secanti ministrat; & denique

 obste-

obstetrices, &, qui earum munere funguntur, embryulci manuum magis, quam oculorum auxilio opus habentes, in tenebris suum opus absolvere queunt. Frustra quoque locus & longitudo sectionis atramento signatur, cum eminens, sinistraque manu apprehensus tumor, dextram errare non sinat, idque potius cogitandum sit, num simplex sectio sufficiat, an vero decussatim facta requiratur, ut satis amplus folliculo exitus præparetur.

§ 26.

Ad ipsam exsectionem præsto sint culter rectus & falcatus, cum duobus uncis, forcipe, spongia, filo, pulvere vel liquore styptico, & cauterio actuali, emplastro item & pulvillo, atque fascia. Recto cultro cutis, firmiter folliculo, ut inde abstrahi nequeat, agglutinata, inciditur, idque provide & suspensa manu, ut hæc satis profunde quidem, attamen sine læsione subjacentis tumoris perforetur; quæ tunc non facile metuenda, quando cutis sola attollitur, & per falcem, cujus dorsum folliculum respicit, diffinditur. Hujus autem & cutis discrimen indicabit color utriusque integumenti discrepans, quod ne mox affluens sangvis obscuret, adstans minister per spongiam prohibebit; qua etiam, quamdiu separatio tumoris durat, magnopere opus est. Fit autem hæc vix solis digitis, ut nonnulli præcipiunt, utpote crassioribus, sed manubrio potius cultri lato, aut spatula, dum interim obtusis uncis labia vulneris distrahuntur, &, si firmiores fibræ occurrunt, illæ cultro dividuntur, donec forcipe arcuata, qualem Dion delineat, is apprehendatur, quantum fieri potest elevetur, & forfice, vel cultro falcato penitus eximatur.

§ 27.

§ 27.

Jubet hoc loco Hornius, in Microtechne, & ex eo Munnick, l. c. vascula sangvifera prius ligare, quam tumor auferatur: id quod tamen, si hic parvus est, minus necessarium, & simul, ob præsentiam cruoris, ex capillaribus ramulis stillantis, factu difficile est, cum præterea stypticis, inque rebelli casu, ignito ferro, ex arteria salienti cruentationi, obviam iri possit. Ut proinde Fabritius, nulla ligaturæ facta mentione, venam per transversum resecare jubeat, & cavere, ne portio folliculi, novæ generationi mali occasionem præbitura, relinquatur. Quando vero grandiores tumores, multis & amplis vasis instructi, auferendi sunt, tunc omnino hæc filis constringi debent, ut nimia effusio sangvinis præcaveatur, nec ibi quoque ab actualibus cauteriis abstinendum est, ubi vincula injici nequeunt, & ischæma non sufficiunt.

§ 28.

Succedit hæc operatio bene atque promte, si tumor adhuc mobilis est, &, tantum sub cute jacens, ipsi laxe adhæret, viditque D. D. Præses semel iterumque tales, leviter circa latera pressos, ex aperto vulnere cutis sponte eo usque prosiliisse, ut absque uncis, & operosa separatione filamentorum connectentium, prehendi, abstrahi, & resecari potuerint. Adstitit autem difficilioribus quoque casibus, ex quibus unum saltem & alterum huc referri voluit. Gerebat Juvenis, medio inter aurem & humerum spatio, tumorem sua mobilitate & mollitie meliceridem referentem, cujus tunica, ab inepta manu Chirurgi dilacerata, post viscidi, & tenax gluten potius, quam

quam mel referentis muci effuſionem, nullo modo a cute ſecedere volebat, ſed, ibi relicta, mox ſequente die putredine correpta, in ulcus rebelle, vix quatuor menſium ſpatio ſanabile degenerabat; quia æger ne mitiora quidem ſeptica, absque intolerabili dolore, ferre poterat. Fœmina, 45 annos nata, cum a tumore in genu dextro, fungum repræſentante, per inciſionem ejus, & emiſſionem lutulenti liquaminis, feliciter liberata eſſet, ſequente anno ibidem a lapſu tuberculum, ad juglandis magnitudinem, trium menſium ſpatio, auctum reportabat, quod ab initio molle, ut meliceris, exiſtens, & paulo poſt durius evadens, flexui articuli impedimentum afferebat; ut propterea, quia indolens & huc illuc mobile erat, & nec reſolventibus, nec emollientibus obtemperabat, remotionem ejus per exſectionem expedire, a D. D. Præſide Chirurgus juberetur. Qui, cum cutem a folliculo cito, & fere usque ad baſin ſeparaſſet, jam forcipe evulſionem tentabat: ſed firma tunicæ cum epiphyſi externa femoris cohæſio, & enormis quoque dolor, leviſſimam tractionem, ac reſectionem ſuperſtitum fibrillarum excipiens, & per femur usque ad innominatum & ſacrum os excurrens, eam impoſſibilem reddebat: ut tandem cultro tumorem aperire, materiamque, mediam inter pultem & ſebum, vel neutri potius ſimilem conſiſtentiam habentem, eximere, ſeparatas portiones folliculi reſcindere, ſinumque travmaticis blandis, balſamicisque implere (acribus enim ægroranti tormenta, aut vicino oſſi noxam inferre, minus conſultum erat) cogeretur: donec, poſt dimidium menſis lapſum, reliquias tunicæ ſemiputridas acuta forcipe, absque ulla triſti perceptione excerpe-

cerpere, & postmodum ulcus, unius mensis spatio, perfecte sanare liceret.

§ 29.

Exquisitus in hac fœmina dolor, ut, sine dubio, a periostio originem habuit, ita non levior metuendus esset, si, in capite hærens, atheroma cum pericranio connecteretur, illudque, quod Sennertus, Prax. lib. 5, part. 1, c. 36, p. 158, facere jubet, secaretur, *calvariaque raderetur.* Citat hunc Autorem Schelhammerus, in ὀγκολογίᾳ, pag. 51, idemque Fabritium velle addit. Sed contrarium ex hujus operum chir. part. 2, cap. 16, pag. 674, liquet, ubi in excisione atheromatis in capite *pericranium non deradendum* esse, aperte scribitur. Ex quo colligimus, quæ cap. 18, p. 677 & 678, de steatomatis curatione leguntur, per festinationem, ad atheroma tracta esse. De isto enim præcipitur, si in capite materia sebacea, steatoma *sine folliculo* constituens, cranio & pericranio valide adhæserit, ut ea audacter scalpello a pericranio removeatur, & ne aliquando revertatur, pericranium separetur, craniumque deradatur.

§ 30.

Peracta extirpatione tumoris, curatio nihil præ aliis vulneribus peculiare requirit, nisi quod Sennertus, l. c. *si plus æquo laxa ac extensa cutis fuerit, ut commode coire non possit, superfluum abscindendum* esse putet. Usitatius alias labia per emplastri tenacioris tenues lacinias, cruciatim sibi impositas, adducuntur. Innuit hanc encheiresin Fabritius, pag. 75, dum *glutinatione* interdum utendum esse monet: quando nimirum labia magis, quam par est, sunt diducta: suturas autem eorum ideo improbat, ne humores, in vacuam tumoris sedem con-

fluentes, corrumpantur, & inflammationi anſam præbeant. Pro avertenda autem corruptione, jubet idem terebinthinam, thus, atque myrrham, cum oleo hyperici & vitellorum ovi imponere: quibus, pro re nata, etiam ſeptica jungenda ſunt, reliquias folliculi conſumentia, ſi illa per ſcindentem forcipem eximi nequeunt.

§ 31.

Cum raro contingat, ut ſine talismodi ambagioſis circumſtantiis, per adeo brevem ſimulque facilem viam, cyſtici & amplæ baſi innitentes tumores auferantur, quali Petro Dionis uti licuit; dum l. c. pag. 835, tuberculi, (cujus nomen & ſpeciem exprimere oblitus eſt) intra buccam hærentis, nucisque molem æquantis, remotionem per ſolam cuſpidem ſcalpelli ſe præſtitiſſe, ægrumque, ad vulneris ſanationem, non niſi crebra oris, per vinum calidum, cum melle mixtum, collutionem opus habuiſſe, refert: ideo hactenus in atheromatis extirpatione data opera prolixiores fuimus, ne, quæ huic pariter, ac ſteatomati & meliceridi medendi methodus competit ac communis eſt, poſtmodum tædioſe in horum curatione quoque repeti debeat.

§ 32.

Eſt igitur circa has ultimas ſpecies parum adhuc monendum, niſi quod ſteatoma, ſive id ſuper cranio tantum inter duas membranas lateat, quod Fabritius vult; ſive in reliquis corporis regionibus tunicæ includatur, nec reſolutionem, nec eroſionem ac putrefactionem, ſed ſolum ferrum admittat, ut ſcil. ſi in capite id hæret, cutis dividatur, & quod §29 dudum innuimus, ſebum cum pericranio auferatur; extra cranii terminos autem curatio vel per diſſectionem cutis, hujusque a folliculo ſeparatio-

tio-

tionem fiat, vel, ubi tumor anguſtam baſin habet, & loco carnoſo incumbit, aut metus eſt, ne excoriatio, tardius procedens, nimis dolorifica evadat, is uno actu totus ſimul cum cute reſecetur. Utriusque operationis exempla paſſim extant. Ita rudem amputationem, in poſtica parte oſſis ilium, a muſculo glutæo factam, Hornius, Microt. Sect. 2, Part. 1, § 35, ſe vidiſſe ſcribit. Eadem promtitudine Roonhuyſen uſus eſt, Hiſtor. curat. chirurg. Part. 1, c. 2, in remotione ſteatomatis, $2\frac{1}{2}$ libras pendentis; quod, in latere axillæ dextræ per quatuor annos hærens, ille, manu filii ſui verſus ſcapulam valide tractum, hinc circa baſin, ut hæc a ſubjectis muſculis aliquantiſper recederet, per chordam ligatum, novacula uno ictu reſecuit, ingensque relictum vulnus lege artis ſanavit. Ad hanc normam abſcindebat, D.D. Præſide jubente, Balneator Burgalenſis tumorem, pugnum æquantem, ſuaque duritie ſteatoma referentem, Ekolſtadii a coſtis ſpuriis puellæ ruſticæ, quem, ex manu unius adſtantium in terram lapſum, ſtatim Moloſſus arripiebat, nec ex ſuo rictu ſibi eripere ſinebat; ut proinde, ad quamnam claſſem iſta moles referri debuiſſet, ſciri haud poſſet.

§ 33.

Excoriationis autem egregium exemplum apud Pechlinum, lib. 3, Obſ. 46, legimus, ubi comtiſſimis verbis prolixe refertur, quomodo *Steatoma glandulosum*, quatuor libras pendens, multisque & grandibus venis cinctum, a coſtis ſexagenariæ vetulæ ablatum ſit. Quam primum ſcil. ſola cutis a Chirurgo per longam & ſimplicem inciſionem diviſa fuit, mox eam D. Langelottus digitis a tumore ſolvit, hujusque radicem forfice reſecuit; hinc vulneris ingentem hiatum ſtyptico & defenſivo obligavit,

 ſequen-

ſequenteque die proſilientem ex arteriola cruorem Bodeti ſtyptico compeſcuit, & vaſti corii utrimque dependentes lacinias magna ex parte abſcidit, ut quinque hebdomadnm ſpatio mulierem, perfecte ſanatam, dimiſerit. Diverſam ab hac ſteatomatis, in gena viri hærentis, tractationem Mercklinus, Ephem. Germ. Dec. 2, ann. 1, obſ. 93, literis conſignavit. Decuſſatim enim, quantum ex textu colligere datur, una cum cute etiam folliculus diſſectus, & poſt exemtam inde ſebo ſimilem materiam, ipſe quoque forcipe extractus, vulnusque per digeſtivum & balſami Peruviani tantillum, relicta exigua cicatrice, conſolidatum fuit. Quod vero apud nonnullos Chirurgorum, ille minus laudabilis, & ab antiquorum inſtitutis alienus mos, *ſimul cum corio ſacculos aperiendi*, quondam obtinuerit, ex Roonhuyſenii l. c. c. 17, patet, ubi non ſolum a Jacobo Ruſtio talem methodum laudari ſcribit, ſed ſemetipſum quoque diu ſibi a vulneratione cyſtis temperare nequiviſſe, fatetur, quamvis meliorem modum ab aliis obſervari viderit; donec tandem ſteatomatis a capite mercatoris, & alterius ex nucha, lege artis, & integro manente conceptaculo, tentata ſeparatio ſibi ſucceſſerit; quam ideo omnibus novellis Chirurgis commendaverit, modo eam, ob ſubjacentes nervos & arterias, aliasque partes adminiſtrare licuerit.

§ 34.

Plures obſervationes ex Ephemer. German. Elſholzii Hiſtor. Steatomatis, M. A. Severino, Salmutho, Hildano, Sculteto aliisque allegare, & quæ in unaquaque notatu digna occurrerunt, explicare, in præſentia limites diatribæ vetant. Ut proinde, quæ de Meliceride, prout ea a *Meliceria*, ſive *Synovia*, toto cœlo differt, dicenda ſunt,

paucis

paucis lineis complecti cogamur: cum dudum in ſuperioribus eam *per cyſtin* a non tunicatis tumoribus, *per compreſſionis* autem & *reſtitutionis* facilitatem, ab atheromate ac ſteatomate diſtingui indicaverimus, & melliformis contentæ materiæ conſiſtentia, æque ac puls & ſebum in modo nominatis tumoribus, neutiquam a ſolo ſero, multo minus a ſangvine, ſibi relicto, ſed ab eodem depravato, & a vitioſo nutrimento, antequam id vitalium humorum characterem aſſumit, dependere videatur, cui ut plurimum externæ cauſæ occaſionem præbent, ut illi in hac potius, quam alia parte enaſcantur.

§ 35.

Hoc unum Meliceris præ reliquis ſingulare habet, quod tenerior adhuc, & a materia non admodum tenaci fota, reſolutionem admittat, ut non ſemper ad eroſionem aut ſectionem deſcendere obligemur. Poſſemus paginam nominibus auxiliorum, ab antiquis pariter ac modernis laudatorum, implere, prout ex herbis, radicibus, ſeminibus, gummatibus &c. ⊖e & 🜍e ſubtili pollentibus, compoſita ſunt, ſaliaque ipſa, calcem vivam, nec non ſpiritus ⊖inos & 🜍eos volatiles recipiunt: ſed ex illis omnibus hac vice decantatum ſaltem, & ſupra jam § 19 citatum *Ceratum Diaſinapios* Hier. Fabritii adducemus, ut B. L. ordinem ac molem ingredientium, tam ab Autore deſcriptorum, quam a Spigelio reformatorum æſtimare, & liberam optionem habere poſſit, quamnam ex his formulis retinere aut repudiare velit. Prior jubet c. 27, p. 677, recipere Salis Hiſpanici, argenti ſpumæ, ceruſſæ aa. ℔i, ceræ ℥i, terebinth. galban. opoponac. aa. ℥ii, Sinapi ℥vi, 🝆ei veter. ℔iii, aceti ℥vii. Poſterior admittit tantum ſalis gemm. ceruſſ. litharg. aa. ℥iv, ceræ, tere-

 binth.

binth. aa. ʒii, galban. opopon. aa. ℥ß, pulv. ſem. ſinapi ℥ii, olei vet. ℥ix, aceti acerr. q. ſ. ut inde ceratum fieri queat.

§ 36.

Hiſtorias variis modis ſanatarum meliceridum offendimus apud Scultet. Obſ. 66, Bened. ſylvalic. Cent. 4, Conſ. 14, Rhodium, Cent. 3, Obſ. 75, Capivacc. conſ. 48, Mercurialem, Schenkium, Münnickium & alios.

§ 37.

Reſtat *Ganglion*, præter ſuum meritum, in tunicatorum tumorum claſſem devolutum, a quibus tamen manifeſte recedit, curationemque ab illis diverſam poſtulat. Munnickio, lib. 1, c. 10, *eſt tumor, corpori concolor, renitens, dolorisque expers, ſed vehementer preſſus, obtuſum quendam doloris ſenſum exhibens, circa articulos plerumque, partesque illorum nervoſas & tendinoſas exiſtens.* Brunoni, in Caſtelli Lex. *eſt tumor parvus, non in profundo, ſed ſub cute ſaltem deliteſcens, inæqualis, in compreſſione ad latera recedens.* Germani vocant Uber-Bein/ non quidem a ſitu, cum tendinibus potius & ligamentis, quam oſſibus innaſcatur; ſed magis propter conſiſtentiam, cartilagine non multum molliorem. Subſtantia ejus eſt pura, & a Muys adeo diaphana obſervata, ut, utrinque convexam figuram ſortita, inſtar opticæ lentis, objectorum magnitudinem amplificaverit. Haud proprie igitur nervorum, inprimis octavi paris, *nodi* a Williſio & Vieuſſens *ganglioformes plexus*, & ab autore libelli, Eſſais d'anatomie inſcripti, les corps olivaires *Ganglia appellantur.* Neque etiam hic affectus, quod, referente Foreſto, Obſ. chirurg. lib. 3, obſ. 7, Avicenna fecit, *glandula* dici debet: cum liquor potius congelatus ſit, ejusque ortus vel ex defæcatiſſimo nervorum ſucco, vel ex lympha, aut nutrimento tendinum

dinum derivandus veniat, cujus congeſtioni preſſio dicta-rum partium, ac contorſio tubulorum ſucciferorum anſam dedit. Per hoc enim dum liquidum conſvetum ſuum tranſitum non invenit, ſtagnat ibi & ſenſium inſpiſſatum, tantam tamque durabilem duritiem acquirit.

§ 38. Vix igitur credibile eſt, iſtum tumorem, quem D. Heinricus Moinichen, Act. Haffn. Vol. 1, Obſ. 56, ſemper ex illuſtris & multorum librorum matris carpo, inſtante partus tempore, diſparuiſſe, & ſecunda ab enixu hebdomate, ad avellanæ magnitudinem, rediiſſe refert, veri ganglii naturam habuiſſe: neque etiam iſtos, piſum æquantes nodos, talismodi vitii nomen mereri putat D. D. Præſes, quos nobilis puer in utriusque manus radice habet: cum immobiles ſint, & per generoſæ matris, in dextra raſcetta non penitus curati ganglii veſtigium gerentis, imaginationem producti videantur.

§ 39. Differt itaque ganglion, per originem & conſiſtentiam ſuam, a tribus hactenus explicatis tumoribus, & quod tantum ad latera inclinari, non autem antrorſum & retrorſum trudi queat, raroque adeo enormem molem, ut illi, nanciſcatur, ſed plerumque intra mediocritatis terminos ſubſiſtat: ut, cum nullum dolorem excitet, a non admodum elegantiæ ſtudioſis toleretur. Inprimis autem ex manuali curatione clariſſimum diſcrimen ſumitur, ut mox apparebit.

§ 40. Cum autem delicatiores ægri facilius emplaſtra, unctiones, fotus &c. quam Chirurgi manum admittant, omnino prius per illa quoque reſolutio tumoris tentanda eſt. Extat Ephem. Germ. Dec. 1, ann. 3, Obſ. 326, C. Röſleri *fotus*, ex abſinthio, artemiſia, origano, ſalv. granis juniperi, cum lixivio coctis, paratus, cui ganglia numeroſa, domeſticam regionem cruris, a talo fere ad femur, occupantia, ceſſerunt. Huic ſubjecit D. D. Winklerus, in Scholio, *litum*, ex ☿ limac. lumbric. tereb. aa. ℥i, lil. alb. chamomill. aa. ℥iß, verbaſc. tabac. ſambuc. aa. ℥i, caſtor. ℈ß

com-

compositum, quo cum mane & vesperi brachia, a cubitis ad manus gangliis obsita, liberavit. Adeo ambo hæc pharmaca Verdückio placuerunt, ut ea in pag. 200, suæ chirurgiæ, suppresso tamen autorum nomine, & ordine inverso transtulerit, eaque magni æstimari, asseruerit.

§ 41. Præter hæc Solenander, Paræus, Purmann, Munnick & alii commendant ex resinis emplastra resolventia, de ranis cum ☿rio, oxycroceum &c. Platerus cataplasmata laudat; alii solam salivam, & rursus alii folia sedi majoris, cuticula spoliata, & matutino ac vespertino tempore imposita, suffecisse observarunt. Quid lamina plumbea, per fasciam, arcte constrictam, alligata possit, ex Vigonis lib. 2, c. 10, discitur, & jam vulgo notum est. Hanc nonnulli, ut efficacior evadat, hydragyro oblinunt; certiori agendi ratione utentes, quam illi, qui laminæ, ex globulo, per cervum aliamque feram trajecto, confectæ, occultam aliquam virtutem tribuunt.

§ 42. Qui citius absolvi desiderant, in illis, absque scindente, aut urente ferro, utpote hic locum non inveniente, manuum potissimum opera talis tumor tollitur, si is sæpe diuque digitis fricatur, adhibito simul linimento emolliente, aut semel iterumque fortiter premitur, ut eum connectentia vincula disrumpantur. Jobus a Meckren, Obs. med. chirurg. 63, p. 296, sibi usuatum curandi modum ita describit: *Chirurgus læva manu firmiter detineat manum planam ægrotantis, ganglio affectam, tabulæ immobili impositam; dextra vero, in formam pugni efformata, bis terve ganglion percutiat, usque dum resolvatur.* Neve forsan in egregia hac encheiresi error committatur, figura, æri incisa, rem declaravit. Haud mitior est Helvetius, dum ligneo, corioque obducto malleo, ictus ægrotis admetitur: ut proinde, una cum suo conterraneo, duris potius remigum atque rusticorum artubus, quam teneræ constructionis subjectis commendandus veniat.

S. D. G.

(o)

3(15)